

Simon Simonides

‘Pentesilea’

Tragoedia
(1618)



Jan-Wilhelm Beck

Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg

Juli 2006

Personae

Pentesilea
Amazones
Chorus ex virginibus Troianis
Taltibius
Priamus
Andromacha
Astianax
Nutrix
Aethra
Nuntius
Aeneas
Deidamia
Coetus foeminarum
Theano
Tres Milites saucii
Nuntius alter

<Actus primus>

Pentesilea

Pen. Te, magne Mavors, sanguinis Sator mei,
Primum invoco, ut me robore invicto iuves
Dignamque te parente natam comprobes.
Fallorne? num pavoris haec vestigia
In me emicant signumque dant diri ominis? 5
Virtutis an sunt talia haec praeludia,
Vt vim suam ordiatur a metu ancipe?
Ne defetisce, anime, nec augurio malo
Te frange. non est in manu tua situm,
Quid fata poscant. hoc situm est, ut strenuum 10
Te praebeas, vel numinum usque ingratiis.
Caedemne vitas? quam per arma quaeritas?
Colo accubandum cum hac fuit sententia.
Belli aleam belli frequenta moribus.
Aut perdere aut perdi duelli lex iubet. 15
Sed vos sodalitiis mei pars unica,
Adeste, amicae, et consulite, quid facto opus.
Magno in periculo particeps periculi
Solut sapit. nil caeterorum desides
Solertias moror, quibus facti carens 20
Diserta lingua fuitiles volvit sonos.

Amazones

Ama. Nos imperata facere nostrum ducimus.
Tuum est monere, quid velis facto exequi.
Pen. Communis alea expetit communem opem. 25
Servile non est munus armorum labor;
Nec vinculo hoc quicquam esse sanctius potest,
Vitalis necisque quo fides se mutua
Revincit et fortunam in omnem devovet.
Nunc hoc videte, quid sit expeditius.
Belli ad cruenti venimus commercium. 30
Res hostium hactenus cluit felicior,
Afflictior res Troica: hi, prout solent
Victi, pavoris anxii sunt compotes;
Illos superbos efferunt victoriae.
Spes ultima in nobis, vel horum imbelliam 35

	Redintegrare vel hostium ferociam Reprimere. qua via id gerendum, hoc artis est. Manumne conferamus omnes cum omnibus? An sola solum quempiam lectissimum Optabo et uno rem paciscar sanguine?	40
	Prior modus vicem meam securior Fors fuerit, alter iste honori et nomini Illustrior votoque et ingenio aptior. Quid censeatis, certiore reddite.	
Ama.	Hera, fortitudinis modum praescribere Ei, qui in illa totus est, perarduum est. Tamen vel impigerrimae pollentiae Nunquam obfuisse cautionem congruum est. Proinde nec tu fraena sic audaciae Permitte, ut omnem segreges prudentiam;	45
	Illudque comprimis vide, non hic tua Regna esse, verum adesse nos hic hospitas Nec inchoare bella, quin iam persequi Dudum inchoata; nec tenere principem Locum, sed auxilii quasi esse appendices,	50
	Vt non necesse sit priores poscere Partes vel anteire velle caeteros. Tutissimum expectare, qua nos collocent Statione quidve muneris gestum velint.	55
Pen.	Rebus secundis ire tutam semitam Verissimum est, adversa res exorbitat Nec tramitem fixum sinit decurrere. Quod huius urbis fata postulant quoque, Quam paene iam procella stravit ultima, Vt, ni recentis auxilii lux protinus Affulgeat, nunquam se ipsam vindicet Metu ex supremo nec animos sponte erigat. Videsne, ut omnes ora convertant sua In me unicam? ex nobisque sumant spiritus? Vt, qui moretur aut ab illis pendeat,	60
	Illosque seque prodat et mulcet malo? Conandum et audendum est, vel ipsa occasio Non deserenda comparandae gloriae Scythicique late proferendi nominis, Graecanicam quod deprimat superbiam.	65
	Stetisse Martis filiam contra Dea Saturni marina, virginem contra virum Non indecorum nec feretur sordidum; Vtinamque solum sola possim apiscier!	70
Ama.	Quocunque te virtutis indoles tuae Producet, hac sequemur. ast considera,	75
		80

	<p>Erroris aliquid ne pariat inscitia; Quando nec arma, usus neque armorum neque Belli gerendi ratio, qua hostis utitur, Nobis sat explorata sit, ne forsitan In retia incurramus imperitiae Poenasque debitas temeritati demus. Idcirco singularis ad certaminis Dubiam fidem te protinus descendere Non suaserim, antequam periculum hostium Faciamus atque conferamus cum omnibus Omnes manum. interim ducis te munia Obire potius censeam quam militis, Laudis paratur unde maior adorea, Artisque bellicae facultas cernitur Illustrior, complura quippe millia Armare quam saevire privum pluris est.</p>	85
Pen.	<p>Quanquam aliud animus gestiebat aggredi, Tamen impetrari non gravatim a me id sino, Ne spernere obstinate amicos iudicer; Quando quidem et ipsa insomnii divinitas, Videre quod sum visa nocte proxima, Vestrae disertim congruit sententiae. Videre nam sum visa me in faciem leae Mutari et irruere in greges promiscuos Stragemque late fundere et serere fugam; Tandem virorum congregari cum acri manu, Qui se impetus contra meos ferro obvii Vltro offerebant et petebant vulnera. Quidamque eorum proruens fidentior Mucrone convolabat in pectus meum. Me muniebat dextera Pater meus. Nam coram adesse visus est Mavors mihi Et me admonere et adiuvare aperta ope. At somniorum inanias frustra arripit, Qui corde non pollet nec olim partam habet Labore gnavo eventuum peritiam. Damno ancipes mortalium solertias, Qui, luce quod quodque vigiles volvunt palam, Plerumque transmittunt supinis visibus Nec persequuntur mentis acrimoniis. Caligo sed quod noctis et fallax sopor Insomniorum protulit ludibriis, Id curiosa quaeritant indagine, Hoc vota temperant sua et vitae modum. Me nulla vanitatis huius arguet Dies, sat ardor instruet me pectoris</p>	90 95 100 105 110 115 120 125

Fraudique nulli fortitudo obnoxia.
 Vos adiuvas dictoque reque quando mi
 Fortuna concessit mea et vester favor, 130
 Non est metus rei gerendae perperam.
 Ama. Consentiant, dissentiantne haec, quae vocas
 Insomniorum et noctium ludibria,
 Cum sanioris consili experta fide
 Parum interest, hoc interest, ne, dum nimis 135
 Contendimus, feramur in praeceps nimis.
 Periculosus factus est belli aleae
 Nec error admissus mederi se sinit.
 Iuvare amicos, non praeire caeteris
 Huc venimus; servanda sunt iura hospitii, 140
 Potiusque spectandum, quid ipsi nos velint,
 Praestare, tum demum eminere strenuas.
 Dicto audientes pulchrius victoriae
 Sequuntur, importuna facta non probo.
 Nam si evenit labi, ad malum noxa insuper 145
 Acceditur, crimenque adest discrimini.
 Nec sim prior nec haeream inter ultimos.
 Sermonis at non est locus, ubi est facto opus.
 Phalanx tua ut parata pransa sit, vide.
 Ne quid moretur, signa si vellenda erunt, 150
 Armisque nostris instruamur nos simul.
 Cedamus intro, post foras prodibimus,
 Cultu rigentes ferreo, ut fortes decet.

Chorus

<Stroph.>
 Ch. Opulentia, unicum
 Mortalium solatium 155
 Curaque perpetua,
 Vtcunque vulgus anchoram
 Te sacram atque portum
 Tutissimum vitae autumat
 Fortunaque reponit 160
 Paginam in te utramque,
 Vento secundo seu placidus fluat
 Aevi lepor, seu ruinam
 Difficiles faciant procellae;
 Antistroph.
 Ego te nec aurea 165
 Gaza nec affluentis

Omnigenis metior
 Nec copia rerum ubere.
 Namque rectius tu
 Sinu in benigno te locas 170
 Fidos inter amicos.
 Quem armat haec corona,
 Vere ille dives, vere opulens mihi.
 Thesaurus ingens amici,
 Pauperies caruisse amicis. 175

Epod.

O Troia, o Priami domus,
 O structa Divum Pergama dextera,
 Quamvis cruenta vos premat necessitas,
 Ensisque late saeviat hosticus,
 Non tamen interitu supremo 180
 Vos damno, quando in tempore
 Talia praesidia et sociorum
 Opem parastis commodam,
 Qualis virago haec seu potius Dea
 Flavio a Termodoonte 185
 Vobis auxilium in re crepera attulit,
 Amsanctum honorans pignus amicitiae.
 Qui vultus? qui frontis honos? quam mista venustas
 Severitati fulgurat?
 Non sine magnanimo pudore 190
 Subque supercilio quieto,
 Lumina stellis aemula fulgent.
 At mihi quae trepido spes iam defluserat omnis
 Pectore, nunc melior se sensibus experrectis
 Insinuat certamque audet spondere salutem. 195
 Olim ceu terras quando ferventior annus
 Vrit, et arentes herbae coelestia poscunt
 Dona imbris, precibusque Deos gemituque fatigant
 Agricolae, si forte Iris longissima opaco
 Protulit os roseum coelo nubesque coegit, 200
 Indicium haut dubium pluviarum imbrisque futuri,
 Illicet assurgunt animis laetamque capessunt
 Spem corde et certae Cereris sibi munera spondent.

<Actus secundus>

Talibius, <Chorus, Penthesilea>

Tal.	Ecquid soporis blanda dona missa iam Regina fecit, introire et alloqui	205
	Quaedamque praebere ut sit haut incommodum?	
Ch.	Pridem vel aurorae ante candidam facem Stratum reliquit, vix satis somni capax. Iamque hic foris sermocinata est cum sua Cohorte, pugnae se futurae comparans.	210
	Quin prodit; ellam, fulgur ut vibrans iubar.	
Tal.	Regina, sic tibi haec dies pulcherrima Nobisque Troiaeque universae affulgeat, Vt luculento exorta nunc est lumine. Hoc adprecatur Rex tibi, hoc omnis simul	215
	Populus patresque et, quidquid hic est gentium.	
Pen.	Sospesne Rex quietis hausit munia?	
Tal.	Quin iam tui videndi habere copiam Peroptat atque causa ea me nunc tibi Praemisit, adventi eius ad te nuntium.	220
Pen.	Quin iuniores nos adire eum decet. Aevum senile nempe honorem hunc postulat. Et iam, nisi importuna sum futura, me Ad limen eius confero; tu sis vide, Ne permolestae adsimus inque gratiis.	225
Tal.	Paulisper hic subsiste, donec quippiam Profamur et mandata pauca exponimus. Quantum sibi gratetur et quantum tibi Debere sese intelligat, quod illius Amica rebus veneris durissimis,	230
	Metiri ab animo potius et sancta fide, Non ex lepore dictionis splendido Verbisque factis affabre ut velis, rogat. Hoc et secundis et tuis contrariis	
	Rebus probaturum palam sese autumat;	235
	Vt promptus atque gratus opera mutua Sit perpetim, stringitque se hoc nexu tibi. Nunc hospitalis parva iuris pignora Lubente sumas ut manu, poscit volens:	
	Monumenta maiorum suum. hos olim senex	240
	Laomedon arcus Hercule a magno tulit, Quum construendis urbis huius moenibus	

- Se praebuit perquam benignus et favens,
 Vtcunque post hostilibus factis ferox.
 Ipsae sagittae cum pharetra munus est 245
 Apollinis. clypeus opus Vulcanium.
 Hic balteus Vulcanius labor quoque.
 Hunc insuper Neptuniae propaginis
 Addit sonipedem, prosequens hoc omine,
 Vt hostium victrix ubique illo cluas 250
 Semperque te mactes superba adorea.
- Pen. Non est, quod abnegem, pudore me affici,
 Munem quod erga me prior sese offerat
 Rex optimus, quam operae meae periculum
 Aut commodum ullum potuit experirier. 255
 Verum ille liberalitate gaudeat
 Sua. mihi duplex onus video inditum:
 Et pro mea virtute iaciendae aleae,
 Et gratiae eius munerandae aequam vicem.
 Vtinam eius hisce sive donis inclytis 260
 Seu gratiis illustribus sic perfruar,
 Vt summa ad illum, summa ad hanc Rempublicam
 Et quemlibet vestrum redundet faustitas.
 Sed convenire et alloqui ipsum pervelim,
 Occasionibus morae nequid vacet, 265
 Rei gerendae neve tempus effluat.
- Ch. Venire Priamum iamque praesto esse hic puta.
 Iam turba praevia incipit praecedere,
 Satellitumque promicat grex hastifer.

Priamus

- Pri. O Virgo, cani isti mei et florens tua 270
 Aetas videtur hoc mihi permittere,
 Vt filiae te appellem amico nomine.
 Vtcunque dignam te geras honoribus
 Primariis nobisque nunc venias prope
 Numen salutare atque praesentaneum; 275
 Quantoque tu paratior nobis ades,
 Tanto tibi maiore nos accedere
 Curaque studioque et salubris consilii
 Fide expedita prorsus est aequissimum.
- Pen. Non verba cedere aut inanes nominum 280
 Iactantias huc aucupari venimus,
 Sed strenuam navare opem rebus tuis.
 Seu filiae tu me loco, Rex optime,
 Seu inter asseras amicorum gregem,

	Vtrumque nobis fuerit haut asperrimum.	285
	Praestanda, non eblandianda est gratia, Quisquis se amicum nuncupat plana fide. Quin hoc agamus potius, ecquid facto opus, Qualive profligandus hostis sit via, Quaeramus actutumque certi quippiam	290
Pri.	Statuamus et negotio addamus manum. Negare non licet, quibus nunc in malis Versemur, anceps arbitrandi ut se offerat Ratio nec explicare se sinat satis, Audaciaene an cautionis sit locus.	295
	Celare nec mihi licet luctum meum, Quo nunc perempto ex Hectore orbus opprimor. Qui murus huius urbis et sacra anchora Et terror hostium vigebat unicus, Is occidens tantos reliquit hic metus,	300
	Vt nemo non perisse iam sese autumet Troiamque speret funditus procumbere. Hincque ambigendi occasio strepit frequens, Tentandane an sinenda sit belli alea, Recentibus modo hostium ferociis	305
	Nostraeque fortunae reciproco statu. Nam corda prosternas nec erigas statim; Viresque lassas tutius tradas fugae Quam praeliorum creduas discrimini.	
Pen.	O Rex, procax sit et sui aestimans nimis,	310
	Qui nesciat, quid sit pavor, quantumve sit Fidendum anhelo pectori victos apud. Verum hanc vicem vel maxime summa eminet Virtus ducum, cadavera et promiscuas	315
	Inter neces stragemque et excordes fugas, Victoriam et trophaea pulchra quaerere. Persaepe lapsi perculere interritos, Victoribusque erepta de manu palam est Victoria. amittenda praeclarae rei	
	Nunquam est potestas, nec iacendum ictis semel.	320
	Plerumque res secundior lentissimam Supinitatem et oscitantiam invehit Nimisque securos propinat cladibus. Redintegrandi semper est mens strenua, Nullaque de spe animosior rapienda spes.	325
	Haec unica est salus, salute inperdita. Quid, quod minutis casibus vel maxima Momenta bellorum frequenter verti amant? Quid, quod inopina audacia alias acerrimos Infregit hancque iecit aleam aptius?	330

	Negare non licet, manu et vita unius Fortis viri vel stare vel cadere alios. Hoc pace videas inque tranquillo foro, Hoc signa remque duram apud duelliam. Nemoque laudem hanc dempserit magno Hectori,	335
	Quin ille murus fuerit et vita omnium. Postquam sed illum infestior Mars abstulit, Iniuriam fieri illius fortissimis Non credo manibus, si in eius se locum Sistat quis alter et mora nulla impigram	340
	Continuet operam splendido vestigio. Tollendus est dolor recenti vulnere, Metusque in herba comprimendus protinus, Ne se efferat longasque radices alat, Vix eximendus intonato pectori.	345
	Quo mi videtur esse consultissimum, Vel civium vel hostium causa, illicet Audere et urgens aggredi periculum.	
Pri.	O Virgo, pro me quando militat tua Virtus, modum conatibus tuis dare	350
	Non est meum. rogare te saltem est meum: Nostram salutem dum tegis, ne negligas Tuam nec occupes prius pericula, Quam tota belli ratio tibi perspecta sit, Ne quod per inscientiam incurras malum	355
	Mihique moerores et aerumnam augeas. Mei quidem omnes tibi aderunt, quocunque te Vocabit excellens tui voti vigor. Consulta sed praeire factis convenit, Viresque nostras cognitatas velim tibi,	360
	Vt scire possis, quid queant praestare, quid Nequeant, quantumque liceat illis fidere. Hoc amplius, praestolor auxilia nova, Quae nunciantur indies mihi adfore.	
	Rex ipse nempe Memnon, Aurora satus,	365
	Aetiopum abusque finibus longissimis Adducit omnes huc suos exercitus. Fidesque certa est, non procul iam tendere; Castris secundis veniet aut tertiis.	
	Illo recepto, viribus iunctis simul,	370
	Paratiores fors fuerimus et mage Hostem aggredi poterimus, intrepida manu. Idcirco vos obnixius rogaverim, Servare vires integras in illius	
	Paulisper adventum, ut molestum non siet.	375

	Audaciae robustiores plus valent, Iunctaeque dextrae se tuentur arctius.	
Pen.	Non una facies bella conficere solet. Haec mole constructisque aciebus se explicant. Fraude alia gaudent et tumultibus geri, Nonnulla furto vel dolo aut ficta fuga. Fatemur esse quale nostrum patrium. Proinde non possum tuae sententiae Non congruere, ne robur omne exerciti Discrimen in Mavortis hodie prodeat; Quin arma praestolanda socia censeo. Non hoc tamen vetare protinus potest, Quin audeamus quippiam nos artibus Nostris, tumultu sive, sive istud fuga Confiat, hostemque haut sinamus vel diem Istum quiescere, affatim ne gaudeat Neu se superbum tollat hoc rerum exitu; Quin sentiat superesse vel victis manum. Sic et tuis paulisper abscedet timor, Fiduciaequae ad damna belli caetera Toleranda meliores in animos influent. Pro me timorem ne geras, prorsus precor; Non primum ista nempe ludicra ludimus. Portam patere, potius actutum iube. Dumque absumus, dum redimus ad te sospites, Mensa hospitalis praesto sit, ne nos fames Labore functas plus satis pertorqueat, Laetas et ipse laetus exceptas velis. Sic spondet augurii optimi mens conscia.	380 385 390 395 400
Pri.	Postquam videntur haec tibi, voto tuo Vtare; ego interim Deos precabor, ut Te sospitem laetamque restituant mihi. Tamen ex meis plerosque cape, dicto ut tibi Sint audientes et periculi adiuvae. Taltibiae, ad Aeneam otius viam vora. Manda, ut manipulum velitum, unum atque alterum, Expediat et parere iubeat huic duci. Reliquos in armis teneat, alam collocet Firmam ante portae limen, ut (potissimum Incerta pugnae sunt), capessant si fugam, Recipere se in tutum queant superstites.	405 410 415

<Chorus>

Stroph.

Ch. Mavortis rapidis fluctibus et fero
 Armorum quisquis se dedit arbitrio
 Et belli semel aream
 Audaci pede pressit, 420
 Vtcunque velum torqueat
 Fortuna inconstantibus auris,
 Ille iter invicto impete radat
 Neu cadat oppressus sanguineque in medio
 Sumat acriora corda. 425

Antistroph.

Nil non restituit curaque pervicax
 Virtusque immoto stans pede perque rui- 427a
 -nas ipsas stabilit gradum, 427b
 Victrix immodico ausu
 Rebusque se arctis asserit;
 Nec spes se insinuat: nisi ubi anceps 430
 Eventus cepta ardua gaudet
 Miscere atque vocare in dubium, alacri
 Illa gestit ire vultu.

Epod.

Et trahit ad meliora
 Blanda simul, simul atrox 435
 Hortatrix nec in ipsa
 Morte relinquit.
 At qua rite suas locavit arces
 Et solido ex adamante
 Fixit pectoris aulam 440
 Regnatrix ratio, casibus asperis
 Non tantum credere quaerit
 Fiduciamque concipit laetam sui,
 Omnia quin oculo despicit altivolo.
 Solum observans mentis honorem, 445
 Illaeso liberrima sensu,
 Non vi, non obnoxia fraudi,
 Non pellace cupidine fracta,
 Late partem provida in omnem,
 In re crepera curae vacua, 450
 Ingens animis, impigra facto;
 Humana in discrimina pugnax,
 Diis minor, ipso de Iove pendens.

O qui coelo fulmina torques
Et bellorum flectis habenas,
Sanci tandem foedera amica
Et da finem metamque malis.

455

<Actus tertius>

Andromacha

And. Cupido vitae tuque sol pulcherrime,
Qui lumen hoc nobis fruendum commodas,
Quam blanda amoris illecebra sensibus 460
Illaberis nostris et avidos detines?
Vt mole quamlibet malorum asperrima
Premamur et ferendo vix simus pares,
Tamen tueri pervicaces quaerimus
Hoc corporis quasi carcere in teterrimo 465
Animam misellam ingratiisque vivimus.
Vel mi quis usus lucis hoc dono frui?
Quae nulla sum, quae sum umbra et umbrae somnium
Interque vivos functa paene obambulo.
Nam cassa coniunx, morte deiecto viro, 470
Non illa viva, sed perinde est mortua.
Tamen reluctor funeri concedere
Pacemque apisci, morte finitis malis,
Dulcissime Hector; nam tibi fortissimi
Nomen vel omnes affatim dant caeteri. 475
Tu mel meum, meus fuisti tu lepor.
Quando cruentum auro redemptum supplice
Te genitor infelix reportabat domum
Atque in sepulchri collocabat limine,
Cur non cruenta victima ad rogam tuam 480
Vna occidi huncque spiritum pessum dedi?
Vel mortuales inter, aeternum tibi
Coniuncta, tecum uno beata funere.
Testor fidele pectus et dextram tuam,
Mihi benigne cognitam, hosti fortiter, 485
Optasse nec vitasse me hanc fati vicem;
Quin usque suspirare pulverem ad tuum.
Sed me pussilla, vagiens nati tui
Detinuit aetas, editi satu tuo,
Orbus parentum ne misellus debita 490
Alimoniae careret ope, sanguis tuus,
Olimque servaretur ad necis tuae
Iustam ultionem, vel manu eductus mea.
Vtcunque matrum cura mollior cluit
Neque educare est nata fortes spiritus, 495
Desertus omni parte ne tamen foret

Operamque saltem nostram haberet anxiam,
Habere quando non licuit aptam tuam
Manum magistram subque te florescere.

Astianax, <Nutrix>

- Ast. Vai, vai, vai, vai, vai. 500
Nut. Puppe meus, puppulle meus, mi
Blandule puppe,
Mi Astianactule, mi mellite,
Mi dulcissime, mi pulchellule,
La, la, la, la, la, la, 505
Vnde tibi flendi ista libido?
Num te facies terruit aliqua?
La, la, la, la, la, la,
Ast. Vai, vai, vai, vai.
Nut. En tibi mammam. 510
En solatia,
En mella tua;
Siste lachrymulam,
Preme vagitulum.
Ast. Vai, vai, vai, vai. 515
<Nut.> Num te lumine laevo laevus
Oculus feriit? qualia multa
Pusos misto in populo infestant.
Siste lachrymulam,
Preme vagitulum. 520
La, la, la, la, la, la,
Mi Astianactule, mi mellite,
Non te pusus laetior alter,
Non lachrymarum parciior alter.
Vnde haec flendi tanta libido? 525
Etiam hoc uber, delicias tuas,
Aversaris? la, la, la, la, la, la.
Ast. Vai, vai, vai, vai.
And. Huc, huc illum mihi; promptius fletum premet. 530
Ades, meus, meus tu, ades; da mihi osculum,
Da mihi ulnulas, appinge te ad me pressius.
Fili, meae aerumnae unicum solatium,
Ob quem misera vivo nec alias viverem.
Dicamne te sentire, in hac aetatula,
Quae damna nos circumtonent, quibus malis 535
Premamur, orbitatis extremo in gradu?
Quali viro ego, quali parente tu, heu, miser
In limine ipso infantiae deiectus es!

Ideone fletum tollere amas? iam quasi
 Iram Deorum et damna nostra intelligens. 540
 Omitte nunc sensum mali, carere quo
 Potes, vel aevi propter ignorantias.
 Molestiarum olim satis superque erit
 Exhaustiendum, quando te anni proferent
 Caedis paternae vindicem, cladem hostium, 545
 Columen iubarque nunc ruentis Patriae.
 An ista spes est lactea? ut lactis modo
 Tu particeps, ceu prima flores herbula
 Maturitatis fruge debita procul;
 Incerta veluti cuncta sunt mortalium, 550
 Nec in futurum sponsionis est fides
 Conducta fatis hac et hac labentibus,
 Ancipite praesertim duelli in area,
 Quam magna vortens, saevus exercet DEVS,
 Modo his, modo illis annuens victorias. 555
 Qui nunc nefanda strage nos pessum ruit
 Volvitque cladis ad supremae terminos.
 Nam ni sinistra mens disertim me monet,
 Non est labor, quin Troia funditus cadat,
 Nosque ensis hosticus hauriat promiscue. 560
 O fili, ego haut me verterim meam vicem.
 Quin mortis expetam potiri munera
 Libensque linquam lucis hoc blandum iubar,
 Seu sponte, sive sit cadendum vi improba.
 Tibi misello, eheu, tibi metuo nimis, 565
 Ne te procella belli, adhuc vitae inscium,
 Honore vitae privet et sternat nece.
 Verum ferenda sors vel ipsi infantulo est,
 Suprema Divum quam iubet necessitas.
 Nut. Regina, cui fatale vulnus accidit, 570
 Mentemque stravit insueta calamitas,
 Non miror esse corde prorsus saucio
 Nullasque spes deinde posse admittere
 Secundiores, quin miser sit perpetim. 575
 Moeror metum parit, metus nec consilii
 Compos nec ullius bonae artifex rei est.
 Mirum neque est, tantis malis te obnoxiam
 Animo iacere nec dare aerumnae modum.
 Nam coniugis tanti carens, quid postmodo
 Speres vel optes, non reperias protinus. 580
 Damnare privatis sed infortuniis
 Totam salutem publicam non congruum est.
 Fortes viros pro Patria cadere, novum
 Non est, nec aliter iste ludus luditur.

Gnavissimum quemque decimari praeliis 585
 Vulgo ferunt; uxorculas imbellium
 Plorare non solere, vulgo itidem ferunt.
 Aio esse iacturam vel usque maximam,
 Decedit urbi quando vir primarius.
 Rarissimum si quidem boni est istud genus, 590
 Sed unius non est opus Respublica,
 Quae continetur omnium virtutibus.
 Vtcunque saecla defluunt mortalium,
 Perennat immortalis ipsa iugiter.
 Viroque vir succrescit et generi genus; 595
 Et Troia stabit et hostium victrix cluet.
 Vix esse desperatione pestis tetrrior
 Potest, manum quae proicit praeceps nimis,
 Durare nec constante sustinet gradu.
 Non Hectoris sint ista dicta opprobrio, 600
 Qui solus antistabat omnibus palam,
 Herois, haut mortalis os dium gerens
 Totamque molem sustinens duelliam:
 Habere fortes insuper Troiam viros,
 Qui nos tuentur et tuebuntur satis. 605
 Vel ista, sanguis ut ferunt Mavortius,
 Quae copiis advenit auxiliaribus
 Subnixa, non permittit omnem funditus
 Spem deserere nec ultimo sterni metu.
 Tantis videtur eminens audaciis, 610
 Pelidem ut ipsum provocare sit potis.
 Servilis ista, quae loquor, non fortean
 Sunt iudici, qualem me ego esse sentio,
 Verum haec habet felicitas heroicas
 Domos, liceat ut sapere in illis cuilibet; 615
 Nec humile quicquam musitant vel servuli.
 And. Solatiis aut suasionibus, etiam
 Ratione nimis non rata, aurem pandere
 Quisquis negat, praesertim in adverso statu
 Fortunae, eum hominem ego esse plane haut dixerim; 620
 Tam pertinax lubido blanditur spei,
 Quae morte in ipsa dicitur non linquere.
 Neque sermo mi tuus odio vel taedio est;
 Mihique partes hoc loco mendacii
 Assumpserim potius, tibi concesserim 625
 Vel veritatis vel boni vaticinii.
 Eventus hoc tantum annuat benignior.
 Ac caetera in dictis tuis non improbo
 Assentiorque saepe fieri humanitus
 Istamque lampada ab his ad alios currere 630

Troiamque non prorsus carere fortibus
 Viris vel exopto vel agnosco libens,
 Quamquam Hectoris mei careat acri manu.
 Verum istius viraginis, quam praedicas,
 Quae se cohorte cum puellarum huc tulit, 635
 Subsidia tanti non facio, ut illis putem
 Troiamve servari aut Achivos repprimi
 Posse; ut libet iactantiis superbiat
 Reique bellicae scientem se efferat.
 Quin contigit mihi illius vanam vicem 640
 Vel condolere vel prope miserescere,
 Ad mensam heri dum regiam vino calens
 Modo hosticis ignes minatur navibus,
 Exerciti modo totius stragem et fugam
 Ipsumque domitum hasta, cruentum Achillea 645
 Loris trahendum tota circum Pergama.
 Tunc mi Hector ante oculos meos, sed lachrymae
 Iam me obruunt, ille Hector, ille Patriae
 Murusque columenque, ille fulmen hostium,
 Quantus vigebat corde, quantus viribus, 650
 Tamen momordit terram Achillea manu.
 Fabarumque mecum: quos, misella, spiritus
 Gestas, quibus turgescis animis inscia?
 Tun' contra Achillem stare? tun' vultum illius
 Orbisque sustinere luminum igneos 655
 Rugamque frontis inquinatam caedibus
 Hastaeve declinare sis potis impetum?
 Iam te, misella, iam tuor, mollem velut
 Celsis columbam praeditam volatibus,
 Quam mox aperto consequutus aethere 660
 Acceptor acer tollit insultu fero
 Rostroque frangit unguibusque eviscerat.
 Tantum, misella, te video, quantum modo
 Video. ubi portae limen extro cesseris,
 Non iam tui videndi erit post copia. 665
 Sed foeminarum gens sumus, more hoc moro.
 Speramus antistare virtutem virum
 Nostrasque longe tollimus solertias.
 Domestica hoc in re, hoc reprendas caeteris
 Negotiis, neque sat foris quiescimus. 670
 Plane inquietum foeminae sumus malum.
 Nut. Subsiste paulum: Aethram video recta gradum
 Huc ferre; non frustra est, citum movet pedem.

Aethra

- Aet. Regina, ab Helena ad te venio: si sit tibi
Cordi venusto perfrui spectaculo, 675
Qua praeliantes foemina exercet viros
Lateque mistis stragibus pugnam ciet,
Ne differas adesse turrim ad Dardanam.
Ibi aula tota regiaequae omnes nurus
Cum Rege Priamo desuper visu aucupant 680
Fortissimae viraginis miraculum.
- And. Verone portis ista muliebris phalanx
Pedem extulit? bellique se in fluctus dedit?
- Aet. Vt gloriari liceat illarum impigro
Facinore vel nostri usque sexus gratia. 685
- And. Solaene? an armis Troicis auctae simul
Fuere, Martis aequor in duellicum?
- Aet. Orabat ipsa, nempe sola cum suis
Vt laudis hoc referre posset praemium.
Sed Rex negavit. scilicet discrimini, 690
Experta nondum cuius esset orbitam,
Primo pedatu protinus ne se suo
Periculo praeceps nimis permetteret.
Idcirco nostri exerciti pars maxima
Vna ivit, ivere et duces primarii. 695
Verum ipsa prae cunctis, qua equo lectissimo,
Insignibus qua armis, palam longe eminent,
Non virginis, sed fulguris faciem gerens,
Quod Iuppiter de nube spargit ignea
Venti furentis nuntium aut pluvii aetheris. 700
At tu vel oculis debeas multum tuis,
Ei<us>modi si te expleas spectaculo.
- And. Non est modo operae; funerum sat vidimus,
Quando Hector, heu, meus vigeat viribus.
Nunc fletuum potius mihi tempus datum 705
Divumque ad aras supplicem procumbere.
Condicta quin haec est dies per pluribus
Nobis, Minervae numen ut voti reae
Mactemus eccellente pepli munere;
Iamiamque lecta pompa virginum venit, 710
Donum gerentum et sonantum cantibus,
Quarum choro me par quoque est adiungere.
Helenae salutem ex me atque amicam gratiam.

Coetus foeminarum peplum ferentium

- Coe. Hanc tibi virgineis manibus, Tritonia Virgo,
 Contextam pallam, splendida dona tua, 715
 Praeferimus pedibusque tuis veneranda sacramus,
 Supplice cum voto, supplice cum titulo,
 Clara Gigantaei referentem signa triumphi,
 Cum tua dextra altum straverat Enceladum,
 Sideribus mediis iamiam caput insertantem 720
 Et pugno coeli percutientem adita.
 Te nos armorum dominam, te bellipotentem
 Dicimus inque tua fidimus usque manu.
 Sis felix, urbique tuae succurre ruenti
 Et nos rite tuo contege praesidio; 725
 Ili vel propter quondam florentis honorem,
 Cui tu divini munera Palladii
 Sedibus aethereis misisti et condere gentem
 Nomine mandasti de proprio Iliacam.
 Hicque tibi poni voluisti amplissima templa, 730
 Vt tuus hic sedem semper haberet honos.
 Suffice nunc animosque tuos dextramque potentem;
 Sisque favens virgo virgineis opibus.
 Atque hanc, quae duri ruit in certamina Martis
 Cumque viris audet conseruisse manum, 735
 Assere. fac, illam victoria laeta reportet
 Hostili multo sanguine conspicuam,
 Hectoreae ultricem cladis. da, saevus Achilles
 Ex eius loris pendeat atque rotis.
 At nos pulchra salus et pacis mitior aura 740
 Muniat et tristi servet ab exitio.
 Sic tibi perpetuis surgat nova gloria saeculis,
 Sic tuus in nostra laude perennet honos.

Nuntius, <Chorus>

- Nun. Priamum vel Aeneam vel ipsum Antenorem
 Vbi sim reperturus, doceri pervelim. 745
 Negotii adeo urgentis est necessitas.
 Ch. Quid est, quod apportas novi? fare otius.
 Nun. Moramini; vos scire primas non opust.
 Ch. Verbo tamen, quo sit loco res, expedi.
 Nun. Bono loco, nostra in manu est victoria. 750
 Ch. O sancta Pallas, adiuva nos supplices.
 Nun. Fac missa verba; hoc, quod rogo, mone, si potes.

- Ch. Hac nuper Aeneam meantem vidimus.
 Nun. Inermem an armatum et paratum praelio?
 Ch. Pro more nempe obire stationes puto. 755
 Nun. Hac flexit? anne illac? ut accelerem assequi.
 Ch. Ellum, haut procul abest atque vertit huc gradum.

Aeneas

- Aen. Quis est requirens hic meam praesentiam?
 Num in acie aliquid anceps repentinum accidit,
 Multa evenire qualia hoc ludo assolent? 760
 Is tu es? loquere; venisne pugnae ex turbine?
 Nun. Ipsissimis densissimisque ex caedibus.
 Aen. Fugae potitus et neci te subtrahens?
 Nun. Haec probra desertoribus sint congrua.
 Aen. Quae causa te ergo, huc ut venires, perpulit? 765
 Nun. Feliciter gestae rei essem ut nuntius.
 Aen. Vt tempus est, vix praelium acceptum autumo.
 Nun. Quin tota profligata iam res est prope.
 Aen. Multa inchoantur faustiter, fini occidunt.
 Nun. Promiscuam fugam hostium iam vidimus. 770
 Aen. Quid si hostis ad casses doli simulat fugam?
 Nun. Multo coactus sanguine, eiectus loco est.
 Aen. Stetitne structa acie atque in ordinibus fuit?
 Nun. Nil tale metuentes tumultu oppressimus.
 Aen. Subitariam, haut statariam pugnam refers. 775
 Nun. Ex impetu fortuna nostra omnis stetit.
 Aen. Quod impetu surgit, novo impetu ruit.
 Nun. Durum est redintegrare versum poplitem.
 Aen. Forte in vagum vulgus datus fuit impetus?
 Nun. Infesta conferre arma vulgus non solet. 780
 Aen. Exercitum faex multa comitari assolet.
 Nun. Fugam calonum forte tu istam cogitas?
 Aen. Subita procella non rapit fortes viros.
 Nun. Multi cruoris et laboris res fuit.
 Aen. Caecus furor belli est. videt, quae non videt. 785
 Nun. Rem si audies, usum manu et oculo asseres.
 Aen. Nostine Graiis quempiam ex primoribus?
 Nun. Et nomina et vultus repraesentem omnium.
 Aen. Tumultu in isto cognitus quisquam tibi est?
 Nun. Ferrum vibrabat Merion iuxta hoc latus. 790
 Aen. Potes secundum nominare aut tertium?
 Nun. Tytiden et Idomenea vidi propalam.
 Aen. Istine cum aliis terga verterunt simul?
 Nun. Promiscuos videre non memini in fuga.

Aen.	Visusne Achilles indidem aut Ajax tibi?	895
Nun.	Hac non fuere, qua fui; nescio alibi.	
Aen.	Non contigissent talia his praesentibus.	
Nun.	Quid si Deorum quispiam nos sublevat?	
Aen.	Opis Deorum nostra duntaxat salust.	
Nun.	Verum admovenda est cum Diis manus quoque.	800
Aen.	Hoc agimus, utinam non profundamus operam!	
Nun.	Sed tam celer qua decucurri huc gratia Et me tuis offerre quaesivi auribus, Si te volente proloqui liceat, loquar, Veniam ad te deprecatus impudentiae,	805
	Quod imperatorem monere miles haut Dubitem tuaeque obganniam sapientiae.	
Aen.	Praefationes amputa, fare numero.	
Nun.	Qui rebus auxilia ministrant perditis Fessisque succurrunt recentata manu,	810
	Passim omnium mortalium fit moribus. At prosperas res, sponte securus tui, Fortunae in ipso cursu et in portus vado Dum diffluunt et cautiones negligunt, Plerumque videas intimo elapsas sinu.	815
	Nam laeta et impotens sui felicitas Facile remittit cordis acrimoniam Spatiumque dat rursus relabendi ad malum. Victoriaeque ipsae, cruore plurimo Partae, modo intermissione paucula	820
	Aut horulae brevissimo respirio, Mox in ruinam sunt volutae praepetem, Vt non minus sint fulciendi orsus boni, Quam quando tristis obruit necessitas.	
	Quocirca et hanc vicem, ut ut haec fuga hostium Evenit, et spes se extulit victoriae, Vestigio premendam et urgendam ilicet Novisque subsidiis fovendam censeam Nullamque dandam copiam ullius morae.	825
	Adeoque tu ipse cum tuis legionibus Illuc ut evoles, diserte optaverim.	830
Aen.	Recte mones. persaepe damnum hoc praebitum est Victoriis, partae modo, ut partae haut forent, Dum persequendi atrox labor remittitur. Neque hoc loci plane alia mea sententia	835
	Fuerit, si ita est, ut praedicas, fugam hostium Factam, usque et usque ut opprimantur viribus Novis nec habeant copiam interspirii. Sed non meum est statuere de hoc negotio.	

Regem te adire opust eique exponere; 840
 Quicquid statuet, ad iussa nos praesto sumus.

<Chorus>

Stroph.

Ch. Faecunda rumorum creatrix,
 Pollens praepete penna,
 Insignis linguis centum,
 Publica fama, 845
 Verumne nuntium per ora totius
 Troiae excitasti?
 Fusas, fugatas ultima
 Strage hostium catervas?
 Pausamque bello funditus inditam, 850
 Quod nos decennali fatigabat metu?
 An mens anxia credulam
 Plus satis se praebet ad id, quod optat
 Sermonibusque gaudium vanis fovet?

Antistroph.

Imago mi mentem retentat. 855
 Si quis lumine laesus
 Obscuretur palpebra
 Sole carente
 Longumque taedium in tenebris horridis
 Omnis salutis 860
 Evanida spe devoret,
 Si forte vel Deorum
 Benignitate aut opera manus
 Medentis aspectet iubar faustum poli,
 Quanquam non solida face 865
 Et mali parte haut minima relicta,
 Laetum tamen sese gerit vel hoc bono.

Epod.

Rumoris huius particulas itidem
 Aliquas utinam liceat legere;
 Fruar vel ipso dimidio libens. 870
 Caeno tenaci efferre protinus pedem
 Fortuna nulla, nulla fata permittunt,
 Primis principiis premenda damna.
 Postquam furorem in curriculum acrius
 Miseris, nullas sonipes habenas, 875
 Non currus aurigam audit.

<Actus quartus>

Deidamia, Coetus foeminarum cum peplo redeuntium

Dei. Paulum moremur nec relinquamus chorum.
Est, quod monere, quod dare in medium velim.
Consistite et parumper inhibete hic gradum
Auresque mi praebete, dum quaedam eloquor. 880
Qui se Deorum ad praesidia conferre amant
Totasque spes pietatis in sinu locant,
Eos sapere partesque persequi optimas
Existimo. nam cum Deorum maxima
Pollentia et potentia et praestantia 885
Sit, opumque thesauros manu omnes in sua
Teneantque possideantque, propitios sibi
Qui illos habent, habere ab illis omnia
Credo neque ullum maius autumo bonum.
Odisse tamen ipsos Deos ignaviam 890
Et, quos amant, beare per solertias
Gnavisque desudare velle laboribus
Constans opinio est. in hoc quin vertitur
Virtutis omnis ratio, qua nemo sine
Beatus aut felix satis censendus est. 895
Idcirco nostra prae viris iniquior
Sors aestimatur, quae, veluti ad ignaviam
Damnatae et inclusae pudendum in carcerem,
Servare limen et domi senescere
Necesse habemus, dum viri et Respublicas 900
Late gubernent et gerant bella inclyta
Et glorias quaerant opesque splendoras.
Quasi vero nobis vel manus planas quoque
Vel brachium vel oculos vel humerum
Vel cordis acrimoniam et solertias 905
Vel, quicquid illis suppetit, negaverit
Natura, et hisdem muniis percommode
Sufficere possimus, quibus viri eminent.
Ineptiores fortean Mavortis ad
Negotium putemur idque ob virium 910
Imbelliam roburque non firmum satis?
Verum haec quoque aerumna atque contumelia
Eidem latebrae, desides qua includimur,
Est imputanda. quid? viri omnes scilicet
Ad bella sunt aptissimi et fortissimi? 915

Minore in aevo ut quisque sese exerceat,
 Ita gnavus aut imbellis aetatem terit.
 Nam robur est quoque munus asuetudinis.
 Neque dubium est, si exerceamur nos quoque
 Ad fortitudinem, fore haut lentissimas. 920
 Vel haec Amazon, specimen istius rei
 Praebet satis; quae, more quia gentis suae
 Est instituta, pensa non producere,
 Non assidere fuso et ignavae colu,
 Vibrare sed securim et arcus tendere, 925
 Ferocis aut versare fraena sonipedis,
 Nunc vel ducis primarii implet munia
 Vel militis fortissimi; tamque strenue
 Adversum Achivos dura in acie rem gerit,
 Vt finierit omne iam bellum prope, 930
 Totam per urbem vera si rumor canit.
 Sermonem eum qua causa apud vos fecerim,
 Nunc expedibo: quid, si ad exemplum illius
 Sumamus animos atque corda fortia?
 Et, foeminae, sequamur ipsam foeminam, 935
 Non tam futurae forte praelii adiuvae,
 Quam, quod magis reor, potiturae simul
 Certissimo victoriae consortio,
 Vel ultionis gratia; quam persequi,
 Lacerare et ipsos mortuos, dulcissimum est. 940
 Nam quae doloris non habet causam sui?
 Haec orba filiis, thorum haec viduum gemit;
 Vel fratre vel parente plurimae carent,
 Multae propinquis; nulla non iustum gerit
 Vulnus, gravem in vindictam ut exardescere 945
 Non debeat. rapiamus arma, quae offeret
 Praesens furor, moraeque non demus locum.
 Occasiones clara facta provehunt.
 Res maximae puncto labascunt temporis.
 Coe. Placet, placet sententia: utamur foro. 950
 Moram amputemus, vindicemus funera
 Charissimorum. suavius nihil siti est
 Iustae ultionis; gestio haurire hostium
 Foedum cruorem. imitemur inclytam ducem
 Et gloriam nostri efferamus saeculi. 955

Theano

- Th. Quae istaec malum est insania? aut ubi est pudor?
 Quo ruere pergitis? gradum subsistite.
 Locum date potioribus sententiis.
- Coe. Praeclara facinora impedire non licet.
- Th. Praeclara non sunt, quae pudorem negligunt. 960
- Coe. Telum necessitatis est durissimum.
- Th. Necessitatem saepe confingit furor.
- Coe. Multam moram facis tuis sapientiis.
- Th. Senecta me vobis monet succurrere.
- Coe. Tuam senectam semper observavimus. 965
- Th. Observat is, qui auscultat; ad mentem redi.
- Coe. Occasionem perdimus, missa haec face.
- Th. Occasio non omnis est fidei bonae.
- Coe. Nimis viam qui quaerit, amittit viam.
- Th. Quo ruitis amentes? ruinam quaeritis. 970
- Coe. Igitur doce meliora, quando plus sapis.
- Th. Qui vult doceri, oportet esse seria
 Mente atque defaecata et aure libera,
 Non impedita suasionibus malis.
 Idcirco non tantum pede, sed animo magis 975
 Consistite et levate vos respirio.
 Te affabor imprimis, puella Antimachia,
 Et submonebo erroris, in quem te intulit
 Fervor iuventae vel viae inscientia,
 Imitamen in qua possidet vim maximam, 980
 Vertens utramque paginam vultu pari,
 Bonam malamque, prosperam atque improsperam.
 Contra malam persola cautio haec viget,
 Nec improbos nec impares sectarier.
 Ab improbis maligna vita accersitur, 985
 A disparibus adversa. quae laedit tamen,
 Insignis et praeclara licet appareat.
 Nam varia cum sint genera mortualium,
 Et quemque sors sua ab aliis discriminet,
 Suo gregi aggregarier quemque est opus, 990
 Agnos uti agnis et feros lupos lupis,
 Delapsus inter non suos, ne non feras
 Consortium vel insuper pereas male.
 Imitamine hoc vafras perire simias
 Ferunt, cothurno non suo dum se implicant. 995
 Potesne iam sentire, ubi peccaveris?
 Mitto? quod uxor inclyti et summi viri,
 Devincta iurata fide et sacro thoro,

Sine illius scitu nihil tale aggredi
 Fas iusque habebas, quia palam delinqueres 1000
 Ipsumque iniquis laederes contemptibus.
 Vos caeteras nunc alloquor. frustraneum
 Natura nihil parit nec absonum uspiam,
 Quin cuncta perfecta arte, perfecto ordine,
 Confusione atque vitio quovis procul, 1005
 Ad munus institutum et officium ratum.
 Quo in genere sexuum eminet discretio,
 Animantium quum saecla, mas cum foemina,
 Condunt graduque coniugantur dispari.
 In caeteris viventibus sola sobolis 1010
 Productio promanat inde; non item
 In homine, qui ad sublimiora proditus
 Sanctasque virtutes colendas, non thoro
 Nexuque tantum iungitur cupidinis,
 Sed vinculo sanctissimo aevi totius. 1015
 Sexu tamen uti dispari disiungitur,
 Ita dispares celebrare virtutes solet.
 Sunt foeminarum, sunt virorum munia;
 Quae mista si turbentur, et vir foeminae
 Virive foemina occupet negotium, 1020
 Venusta naturae ruat concinnitas.
 Multisne agam: deses domi vir si haereat,
 Ignaviae non effugiet atram notam.
 Si foemina vagetur foris, nil turpius.
 Devotiores nos sumus; frequentius 1025
 Delubra Divum ideo solemus visere.
 Prout modo ad pulvinar almae Palladis
 Accessimus: mutemus, obsecro, ordinem.
 Ad templa confluant viri, noster chorus
 Descendat in Mavortis aream trucem: 1030
 Absurditatem praeter et turpes vices,
 Periculum hinc utrisque cladesque ultima
 Creetur. hanc si quis Scytham viraginem
 Praetendat et miretur, arbitrio meo,
 Ista studia neque huic convenire iudico, 1035
 Vtcunque more patrio est exercita.
 Producit ut natura monstra, verum ea
 Perrara scaevique habita semper ominis,
 Res pariter est monstrosa, miles foemina.
 Communibus vita est peragrandam orbitis, 1040
 Naturaque insequenda dux certissima;
 Artisque factitandus asuetae modus,
 Lausque aucupanda de labore congruo.
 Vtcunque bellatrix superbit maxima,

Tamen vel illa sospes utinam se efferat 1045
 Loco ex tam atroci, in quo virorum fortium
 Ducumque summorum iacent tot funera!
 Nae, vos misellae non perieritis male
 Muscae velut, pessumdatae pogoneo,
 Dextella quarum vix aciculam sustinet, 1050
 Nedum vibraret pondus hastae aut spiculi.
 Cedamus in domos coloque strenuam
 Manum applicemus, foeminas frugi ut decet.
 Viris et arma et ultiones et graves
 Iras relinquamus, secundum Divum opem. 1055

<Chorus>

Monostrophica

Ch. Sermone in sapientum
 Audivi memorari
 Nil tranquillius esse
 Magno mari, insolentia
 Ventorum nisi perturbetur 1060
 Vaesianamque fluctuum
 Concipiat, miseris discrimina nautis.
 Urbibus in magnis populorum
 Persimile ingenium esse,
 Blanda ut pace fruantur 1065
 Pacati lentumque quiescant,
 Seditiosae animae author
 Donec insurgat, gravidam tumultu
 Trahens procellam et bene compositos
 Miscens fluctibus asperis. 1070
 Tunc videas ignobile vulgus
 Coetus cogere, concursare,
 Fraenum excutere, poscere tela,
 Non Patriae aut legum meminisse,
 Ruere in pernitiem certamque ruinam. 1075
 At si furentibus obviam sese offerat
 Magna viri facies, quem
 Splendor et vitae gravitasque morum
 Et meritis illustria facta
 Commendent, mox limphatos 1080
 Multiat fando rabiemque demat.
 Stent arrecti ponantque iras
 Et pristinae quieti
 Dedant sese.

Vnicus vir, corde pollens, 1085
 Urbibus totis salutem
 Impertit; hunc si fata demant,
 Iactura maior vix potest recenseri.

Miles saucius, <Chorus>

- Mil. Me miserum, ach, ach, o miserum me,
 Quod vitae generi huic me addixi 1090
 Militiamque sequi potius quam
 Tranquillum aevum elegi ducere.
 O gloriola,
 O vitae aucupium vanissimum,
 Fraude tua haec in retia veni. 1095
 Nunc miser ex te haec praemia capio:
 Vulnera, saevum artumque cruorem;
 Quin vicinum funus praesto est.
 Me miserum, ach, ach, o miserum me.
- Ch. Quid hoc rei est? de praelio hoc vulnus refers? 1100
- Mil. Non de popina, non fori de circulo.
- Ch. Haec sunt virorum condimenta fortium,
 Imbellium haut Mavors moratur sanguinem.
- Mil. Me miserum, ach, ach, o miserum me.
 O bellum, o perniciēs maxima. 1105
 Quisquis te prior humanum in genus
 Introduxit, nae, ille leonum
 Cor gessit vel dirius etiam.
 Orci tu thesaurus: per te
 Mors messem facit innumerabilem; 1110
 Nunc florem aetatis miserae meae
 Detruncasti. pereō, pereō,
 Iam deficio, iam deficio.
 Tenebrae involvunt oculos; o sol,
 Non te iam video, solvuntur 1115
 Frigentque artus, cado iam cado.
- Ch. Decessit; hastae vulnus hoc est per femur.
 Ecce, alterum venire saucium et alterum.

Miles alter saucius

- Mil. O vulnus, dum te respicio
 Fatalemque horam mihi adesse 1120
 Iamiam video. non hoc moveor,
 Quod migrandum e vita est: iam tum

	Primum, cum militiae nomen Consecrabam, pro stipendi Precio, deponebam vitam;	1125
	Inque aciem non alia mente Descendebam, quam ut redeundum Non sperarem. quippe ubi ferro Res agitur, ferri expectanda est Lex et vis; vitam qui alienam Appetit, ibidem destituat suam.	1130
	Legibus itaque belli pareo Aequo animo et vim fati amplector, Quanquam decimus est hic annus, Ex quo saxum hoc volvo illaesus.	1135
	Fecit hoc vel Divum alma benignitas Vel virtus et dexteritas ducum, Quorum ductu atque auspiciis pedem Semper sospes retuli ex omni Discrimine. nunc sub duce nihili Interitu communi veluti	1140
	Fluctu haustus sum et pereo inglorius. O foemina, quae te pestis dira Attulit in nostras regiones! Tua superbia, tua stultitia Clade suprema nos oppressit.	1145
Ch.	Mi miles, indolem tuam fortissimam Admiror. at miserescio fortunam simul. Stragemne nostri nuncias exercitus?	
Mil.	Vt me vides, de caeteris sic iudica. Ostentatio et ambitio, duae Humani generis funestae Clades, quam foedare ruinis Gravibus vitam omnem soleatis! Tum praecipue inter belli ardua Stragem exercetis, si quando Dux stolidus se imperio ingessit Insuetusque manu trepidante Prendit habenas.	1150
	O Diva, o fulgenti pollens Aegide delubri huius Praeses, Inclyta Pallas, numen mihi ut in Vita, sic in morte colendum. Miseram hanc animam leni passu Permitte aegros deserere artus Et tranquilla in sede reponere. At vos, amicae, cura si qua vos tenet Labentis in mortem et trahentis ultimum	1160
		1165

- Anhelitum, deducite hinc me aliquo in locum
Solum vel ad viciniam fani istius, 1170
Ne spiritum saevo aestuantem vulnere
Efflem ante vestra lumina et spectaculo
Tetro cruoris insuetas inquinem.
Amabo, prende dexteram et, dum adhuc datur
Movere vivum poplitem, hinc me submove. 1175
- Ch. Imo ad medentis te manum deducimus.
Mil. Spes nulla; tanta vulnerum vis opprimit,
Iamiam auferor. duc, quaeso, subduc otius.
Ch. Ite, hinc et hinc, utrumque subtus brachium
Manum indite et, qua iusserit, deducite. 1180
Pium laborem sumere addecet pias.

Tertius Miles saucius

- Mil. Iuppiter aut tu, qui bella regis
Omnia vertens, maxime Mavors:
Vtcunque mihi vulnere acerbo
Vita eripitur, tamen hoc nomine 1185
Iustas vobis grates reddo,
Quod me haec intra moenia vivum
Et spirantem concessistis
Inferre pedem, ne corvis et
Canibus fierem turpe obsonium 1190
Neve carerem sorte sepulchri.
O Patria, o longe dulcissimum
Natale solum, suscipe inane
Hocce cadaver, suscipe vilem
Corporis umbram, quando animis et 1195
Sospite dextra salvam et sospitem
Te praestare negatum est. non hoc
Miseret, quod pereo; hoc mage miseret
Quod coram video interitum tuum.
Et ruo, te iamiamque ruente, 1200
Nec iustitiae me solatur
Oculus; quin morte ipsa mortis
Causa asperior trepidum concutit.
Nam sceleri alieno vitam nos
Impendisse ecquis non iudicat, 1205
Ni Patriae erroribus involvi
Et commune malum omnibus aequè
Impingi iubet arcta necessitas?
O Priame, o quondam non solum
Magnorum Regum, ast hominum omnium 1210

	Felicissime, dum te aetatis Vigor et consilii alta potestas Florentem immotumque fovebat, Omnes laeta pace tegebas, Nec tempestas ulla gubernis Laeva tuis incurrere amabat.	1215
	At postquam anni deteriores, Mollius et te concurvavit Senium, concessisti imperium in Muliebri, et iuvenum natorum Proiecit vaesania fraenum. Hinc flamma irrequieta malorum Prosiluit teque et nos hausit Exitio extremaque ruina.	1220
	O domus, utinam te pede firmo Tangam et vitae reliquias tuo Dulci in gremio fessus ponam!	1225
Ch.	Permiserisne? si tibi supponimus Manum atque limen ad tuum deducimus?	
Mil.	Si feceris, beneficium summum mihi Praestiteris; ach, cruore te foedo effluens.	1230

<Chorus>

	<i>Stroph. I</i>	
Ch.	Quisquis humanum genus ad colenda Iura mutui consortii Deduxit atque nexibus Adstrinxit vitae socialis, Vt domos, ut urbium Ponerent fundamina Moribusque et legibus Obnoxii sacratis Cum choro virtutum venerabile aevum Degerent, pacis simul atque belli Constitutis munimentis;	1235 1240
	<i>Antistroph. I</i>	
	Nae, ille divini precium laboris Saecla per mortalium vaga Vulgavit. an tantum hoc decus Est acceptum iure ferendum Orbis ipsi condito- -ri? manu qui praepoten-	1245

-ti, propages viventium
 Quum proderet, cohortes 1250
 Caeteras brutorum animantum ad unum
 Nempe vescendi officium vocavit
 Atque humo pressit supinas,

Stroph. II

Ventrem ut parentem agnoscerent
 Tantum et vivere privo 1255
 Aevo usque quaque possent.
 Ast hominum sobolem altiore
 Edidit partu, rationis almae
 Computem, ad coeli supremas
 Sedes usque animo penetrantem, 1260
 Oris honore aptaque loquela
 Ornatam, ut genitoris
 Laudem sui laetissimo
 Munere linguae concelebraret
 Coetibusque congruis 1265
 Inter sese agitare
 Vitam beatitudinis
 Virtutumque capacem.

Antistroph. II

Necessitatis insuper
 Telum ex corpore nudo 1270
 Infixit, ut iuvamen
 Alter ab alterius labore
 Quaerent atque inde operae ac amoris
 Induerent arctissima vincla.
 Artes omnigenae hinc caput extu-
 -lere, hinc omnibus oris 1275
 Sudatur et decurritur;
 Omniaque in medium cumulantur.
 Non greges citos rapit
 Formicarum adeo ardens 1280
 Cupido, acervos dum congerunt
 Aestatem per amoenam

Epod.

Farris opimi, ut curae innumerae
 Deproperant hominum satagentum.
 Ast non omnibus aurum 1285
 Conferre fulgens aut nitorem gemmarum
 Conceditur, vilissima
 Rerum etiam veniunt in usum.

Non tamen ullius praestantis pondera gazae
Antestant preciiis 1290
Prodigam virtutem animae, quietem
Dum Patriae, dum templa Deorum,
Fessos dum amicos eripit
Hostium ex charibdi.
O mihi militiae nomen sanctissimum et o tu 1295
Semper iuventus inclyta,
Quae nec morte fugis nostram munire salutem.
Dii tibi propitii sint
Et his et olim oris beatioribus.

<Actus quintus>

<Aeneas, Nuntius>

- Aen. En, quo relapsa est tam repens victoria? 1300
Mussanda sed sunt principum deliria,
Vtcunque damnis persoluta atrocibus.
At nunc, quod instat, ne hauriamur ultimo
Periculo, ite, quo suum quemque evocat
Munus, volate in moenium pinnacula, 1305
Volate propugnacla in alta turrium;
Sint expeditae machinae, sint undique
Intenta tela, militum sueti globi
Portasque et arcem sepiant custodiis;
Fremat tumultus omnibus vicis palam, 1310
Ad arma, ad arma conclametur, horrens tympanum
Tubaeque tristes dent sonorem turbidum,
Ne improvidos hostilis impetus obruat.
- Nun. Orci tenebras et specum infernalium
Advenio linquens; ultima tantum abfui 1315
A mortis orbita, ut perisse crederem.
Hoc profuit, quod cladis esse nuntium
Voluere Atridae eaque gratia mihi
Cessere vitam, posteaquam caeteros
Omnes neci obtrusere, quoscumque in manus 1320
Venire vivos contigit Marte ex fero.
Adeo cruentas victimas promiscue
Iussu videbam publico mactarier,
Me praeter unum, sorte semotum ancipe.
Sed obviam, eccum, habeo ducem optimum 1325
Aeneam, ei effabor malorum hunc turbinem,
Quo perperam est strages patrata exerciti.
- Aen. Quid est? quid adfers? fare, nil sponte occule.
Nun. Elinguis utinam istam vicem et mutus forem!
- Aen. Malis ferendis iam aegra mens occaluit; 1330
Non est, quod auri postules te parcere.
- Nun. Vis magna tam triste imposuit onus mihi,
Vita redemptum nuntium vobis fero.
- Aen. Hoc iam liquet, victoriam esse hostem penes,
Nostros potitos cladis et turpis fugae. 1335
- Nun. Clades fere omnes abstulit, paucos fuga.
Aen. Occidionis saeva damna praedicas.
Nun. Sic res habet, tam arcta incidimus in retia.

Aen.	Insessor an vos miles oppressit dolo?	
Nun.	Nullae extitere insidiae, aperta vis fuit.	1340
Aen.	Acie conflictum est et instructa manu?	
Nun.	Acie nec acie, caeca mens nos perdidit. Et verius vis insolens quam praelium Artisque militaris inscientia.	
Aen.	Num Scythica disciplina non satis cata est?	1345
Nun.	Ferae impotentes praelientur cautius.	
Aen.	Armatus hostis copiam pugnae dedit?	
Nun.	Vagum atque palantem per arva invasimus.	
Aen.	Bellum futurum nescientem scilicet.	
Nun.	Nec cogitantem nec paratum ullo modo.	1350
	Plerique tuti obambulabant, plurimi Spolia legebant aut rogis ardentibus Tumulisque mandabant suorum corpora, Vulgusque passim errabat, ut fieri solet	
	Victoria parta et patratis caedibus;	1355
	Quum nostra dux, non arte belli aut ordine, Non more structis congruo legionibus Signisve prolatis tubisve canentibus, Clamore sed duntaxat et voce horrida	
	In barbarum furens modum, praefulgidam	1360
	Vibrans securim, cum suis prima evolat Turbamque late penetrat in promiscuam, Imbellia et vaga in pecua ceu trux lea, Necibusque caedibusque miscet omnia	
	Totisque campis fundit atrum sanguinem.	1365
	Nos consequimur atque irruimus; una illicet Cuncti, ordinibus itidem atque lege praelii Neglecta, ut effera et voracia agmina Sturnorum eunt clamore acuto pessimam Praedam petitum de racemis dulcibus.	1370
	Sternuntur, obtruncantur, ut quisque obuius, Cadunt inermes, struibus implentur sola Cadaverum, rivis cruor passim ruit, Turpem in fugam vertuntur omnes, qua patet Latissimus campus Scamandri ad littora.	1375
	Nos insequi nec facere caedium modum Ad castra donec stragis illatus pavor Eruptioque nostra satis apparuit. Iamque ardor occidendi ad ipsam fluminis Ripam impetu nos tulerat effusissimo,	1380
	Neque hostium a tergo neque memores sui. Saevire Amazon atque ovare caedibus Nosque incitare pervicam ad ferociam; Magis, magisque ardebat, amens uls modum.	

	Prodire castris interim Graecanicus	1385
	Exercitus portisque fundi ex omnibus	
	Et terga nostra perpeti circumdare	
	Indagine; neque sensimus claudi prius	
	Ferri sagena, quam exitus nullus super	
	Relictus, ut minimam fugae daret viam,	1390
	Vallante frontem vorticoso flumine.	
	Duces volare visi et adstruere aciem	
	Lentoque lunata admovere gradu agmina,	
	Aiaxque Achillesque altaque vis Vlyssei	
	Geminique Atridae et caetera heroum manus.	1395
	Mox dissipatos, segreges, male avios,	
	Fessosque anhelosque impetu rapidissimo	
	Petunt, trucidant, vulnerum vi prouunt,	
	Ceu atra nubes, foeta dira grandine,	
	Ventique turbinisque perperam potens,	1400
	Segetis adultae verberat propaginem	
	Totasque aristas in sinum terrae quatit.	
	Nec tempus horae unius amissum exiit,	
	Quam internecio nostrum omnium palam edita est:	
	Partem fluuius absorpsit in praeceps datam.	1405
	Vivi in manus vix venimus paucissimi.	
	Itidem fugae beneficium vix abstulit	
	Paucissimos; in castra quotquot sunt tamen	
	Rapti, capite dedere poenam omnes trucem	
	Me praeter unum, quem ista servavit fides,	1410
	In urbem ut huius cladis irem nuntius.	
Aen.	Quid ipsa Amazon? in potestatem hostium	
	Viva est recepta? an cecidit inter caeteras	
	Strages? humumque momordit ore frigido?	
Nun.	Achillis hasta occisa, fortem spiritum	1415
	Effudit uno, haut altero, ictu saucia.	
	Nam ubi undecunque vidit a nostris fugam	
	Fieri et tumultum turbidum increbrescere	
	Graiosque pervulgare cuncta caedibus,	
	Stupore paulum vel pavore constitit	1420
	Incerta, pedibusne etiam equoque fideret,	
	An cordis acrimoniis staret ferox	
	Mortemque quaereret media per vulnera	
	Vitamque non inulta in acie amitteret.	
	Dum volvit haec et anxie secum autumat,	1425
	Iamiam illi Achilles imminebat arduus,	
	Succinctus impigerrimo iuvenum globo;	
	A queis caterva Scythica vel foedam in fugam	
	Dicto otius dabatur aut orci in domos	
	Truci premebatur nece, satura vulnerum.	1430

Ast ipse Pelides feris obtutibus
 Solam occupabat Ponticam viraginem,
 Quae milibus totis suorumque agmine
 Nudata, varios huc et huc orbis equo
 Spumanti agebat nec satis stabat loco; 1435
 Quam comminus nactus, oculis ut voceque
 Posset lacessiri, ioco sic increpat:
 'Heus, heus puella Pontica, heus: huc, huc ades!
 Cupidus tui iuvenis vocat te; heus, huc ades,
 Mavortii teli appetens, non Venerii.' 1440
 Hic illa, seu furoris oestro percita
 Pudoreve externata, equum calcaribus
 Adurget impetumque plane acerrimum
 Facit in Achillem; tum bipennem ter quater
 Infligit in galeae moras, ictu irrito, 1445
 In fragmina ut chalibs volaret protinus.
 Tanto arma Achillei valebant robore,
 Perfecta fida olim arte Lemnii senis.
 Missa bipenni, hastilibus manum admovet
 Iactuque iaculatur prope infestissimo 1450
 In pectus adversum viri; ictus hic quoque
 Vmbone frustratus nihil noxae tulit.
 Namque illam inescans, tela clypeo scilicet
 Duntaxat eludebat et dabat moras,
 Rimatus opportuniorem spiculi 1455
 Sui impetum; nec arte sueta falsus est.
 Namque irruens, ipsam in papillam condidit
 Ferrum, per usque cordis intimos sinus,
 Momento ut halitum ultimum flaret et equo
 Rueret nec amplius sui compos foret. 1460
 Labentem Achilles a suis sumi in manus
 Situque quam decente deponi in solum
 Praecepit, omni parte tecta corporis,
 Ne virgineus honor pateret uspiam.
 Delapsus ipse equo et parumper lumina 1465
 Faciemque contemplatus, 'o Virgo misera,
 Quae te mala', inquit, 'mens virorum in praelia
 Coniecit? aptius fuisses inclyta
 Mater familias et domum auxisses tuam.'
 Nec spolia legere nec arma quenquam tangere 1470
 Sivit iacentis; quin datis custodibus
 Servare tutam iussit, ornatu integro.
 Flammam in duelli ipse inque confertissimas
 Strages relapsus, caedibus se immiscuit.
 Nec iam diuturnus superfuit labor. 1475
 Fusi, fugati, occidionem ad ultimam

	Omnes redacti aut fluminum torrentibus Hausti, nefandis conciderant mortibus. Magnusque clamor personabat undique: 'Feri, feri, occide, occide; cave, parcere!'	1480
	Nondum diei flexerat meridies, Quum cuncta profligata, strata corporum Foedis acervis, plena cladis cerneres. Tuba interim receptui coeptum cani; Campoque in ipso principes omnes viros	1485
	Praeco advocabat regium in tentorium. Praesto frequentes adfuere, mox datum Edictum in omnem exercitum: ne quis caput Vivum hostis asservaret aut, si acui foret Captivus, eum Regi illico fide bona	1490
	Vt traderet; pauci illico sunt traditi. In queis ego quoque. sorte dein censi sumus, Quis iret atque verba Troiam non bona Deferret, ut victoriam Graecos penes Stetisse scirent, pacis ut silentium	1495
	Esset perenne; foederis ne mentio, Ne nuntiorum missitatio foret. Non postulatio ulla, ne cadaverum Sepeliendorum quidem aut causa pia. Venire si quis audeat, caduceo	1500
	Tutum haut fore; imo capita e extemplo fore. Haec ferre iusso praemium vitae datum est. Producta turba alia capite poenas luit; Nec parcitum cuiquam est, tam atrox persaeviit Vindicta, iura ut gentium pessum daret.	1505
	Mox aliud edictum editum est: ut militi Praeda universa cederet; cadavera In flumen ut raperentur, esca piscibus, Omni sepulchri destituta munere. Neque mora, quum nudissimi, turpissimum in	1510
	Modum, trahebantur tetrosque in vortices Praeceptis dabantur, flumina ut consisterent Meroque spumarent cruenta sanguine.	
Aen.	Etiarne Amazon tale supplicium tulit?	
Nun.	Quin prima tracta a publicis lictoribus Vnaque cum illa caeterae viragines.	1515
Aen.	Nudaene? an habitus sexui debitus honos?	
Nun.	Non sat scio; fieri spolia vidi tamen Equumque duci Vlissis a famulitio.	
Aen.	Non illa Achilles iure possedit suo?	1520
Nun.	Neque id scio; tantummodo ex tentorio Vidi periratum exeuntem Achillea,	

Vultu feroci, flammeis obtutibus,
 Remurmurantem fervidas secum minas.
 Rumor ferebat, iurgio intentissimo 1525
 Egisse, ne crudele quidquam in mortuos
 Decerneretur neve conscirent nefas,
 Quod iura abhorrerent Deum et mortalium;
 Eaque causa, contumelia excitum
 Tersitis, in malam eius impegisse tam 1530
 Pugnum valens, ut dentium illico omnium
 Sputum faceret atque ante sessimonii
 Ora exanimis et vix hians procumberet.
 Quid postea actum, non liquet mi dicere.
 Mox namque iussus ire sum et rapere viam. 1535
 Nec diffitear ivisse perceleri gradu
 Nec terga post vertisse flexa lumina.
 Aen. Hac me sequere, Regem ut adeas atque omnia haec
 Sermone quam verissimo renunties.

<Chorus>

Stroph.
 Ch. Supra querelas et lachrymas supra 1540
 Omnesque luctuum modos
 Exarsit hoc incendium.
 Stupore torpesco nec orbitam spei
 Amplius ullam dispicio, quae
 Exitum ab interitu supremo 1545
 Praebeat; o Patria, o creatrix
 Dulcissima, o sanctissima
 Pergama? structa manu Deorum,
 Iam iam vos ruere ultimo
 Excidio, iam funditus exstir- 1550
 -pari video; nec subsidio
 Vllum amplius locum dari.
 Flammeus iam vos vortex vorat,
 Iam ferrum in vobis dominatur,

Antistroph.
 Humana quando praesidia omnia 1555
 Nisu irrita in cassum ruunt
 Seque opprimunt lapsu suo.
 Sperare nam Deorum opem vanissimi est
 Iudicii, quum crimine laesam
 Mentem habeas scelerique nullam 1560
 Constituas sine fine metam;

Nec corrigi te postules
 In media feriente poena.
 Felix, qui potuit manum
 Nosse Deorum et, vindice flagro 1565
 Admonitus, mox ad meliora
 Reflexit errantem pedem,
 Obstinatus neve obduruit.
 Is coelo contendere palmas

Epod.

Supplices egens opis potest. 1570
 O iustitia, o pacis amicae
 Genitrix veneranda,
 Tu sola bellorum gubernas nomina,
 Victoriis tu sola cultores tuos
 Beas. ruinis 1575
 Contra fatigas,
 Qui iura conculcant tua.
 Tandem illabere mentibus
 Regum meorum, ut praesidio tuo
 Aureae pacis gremio reponi 1580
 Pietate non vana expetant.
Iesu Christo laus et gratia.

Pentesileae epitaphium

Mersa undis, superata armis, dum foemina sexum
 Contra contendo, foemina sic perii.
 Stultitiae exemplum muliebris, quod monet omnes,
 Metiri ut proprio se pede quisque velit.

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1772 mit fehlerhafter Seitenzählung (ohne S.184 und 185, S.212 als 112); der Erstdruck von 1618 war mir bislang leider nicht zugänglich.

Versuchsweise ergänzt wurde eine Einteilung in fünf Akte, wie sie durch die Stellung der Chorlieder mit jeweils Strophe und Antistrophe als Abschluss vorgegeben scheint. Der lange vierte Akt hat damit wie der dritte ein einfaches mittleres Chorlied erhalten, das den Akt weiter in zwei auch inhaltlich miteinander verbundene Szenen unterteilt (jeweils eine Frauen- und eine Soldaten-Szene: die Aufforderung zur Teilnahme an einer 'Mauerschau', der Botenbericht als eine Art 'Mauerschau' für das Publikum [Akt 3]; die Diskussion über weibliche Hybris, die Soldatenberichte als Beweis für deren katastrophale Auswirkung [Akt 4]). Alternativ möglich wäre eine Gliederung in sechs Akte mit einem einfachen Chorlied am Ende des vierten, doch ohne Beachtung der sonst mit Wechselgesängen besonders sorgfältig markierten Einschnitte. Zumal angesichts der Kürze und inhaltlichen Gewichtung des dann entstehenden selbständigen fünften Aktes ist Letzteres für mich jedoch weniger wahrscheinlich.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*. Groß geschrieben wurde: 177 *Divum*, 198 *Deos*, 591 *Respublica*, 687 *Martis*, vor 1182 *Miles*, 1321 *Marte* sowie *Rex* u. ä. (215, 217, 1490, 1538), *Patria* (546, 648, 1074); klein dagegen: im Darstellerverzeichnis *virginibus*, 16 *sodalitii*, 155 *solatium*, 613 *iudici*, vor 714 *foeminarum*, 714 *virgineis*, vor 877 *foeminarum*, 1036 *patrio*, 1140 *duce*, 1220 *iuvenum*, 1225 *domus*, 1243 *divini*, 1246 *iure*, 1296 *iuventus*, 1301 *principum*, 1356 *dux*, 1427 *iuvenum*, 1432 *viraginem*, 1485 *principes*, 1486 *tentorium* sowie alle Wortanfänge im abschließenden Epitaphium. In der Anrede groß belassen wurde 1161 *Praeses*, 270, 349, 714, 1466 *Virgo* sowie *Sator*, *Pater* für Mars.

Einheitlich geschrieben wurde *lachry-* statt 513 *lachri-*, 519 *lacry-*, 647 *lacri-*, vor 877 *foeminarum* statt *faeminarum*, 1125 *precio* statt *pretio*, 1178, 1200 *iamiam* statt *iam iam*, 1226 *reliquias* statt *relliquias* sowie stets *haut* statt *haud* (201, 206, 285, 390, 561, 620, 1416), *sese* statt *se se* (229, 235, 253, 301, 867, 916, 1076, 1084, 1266) und enklitisches *ne* ohne Abstand (295, 304).

Ergänzt wurden die Akteure vor 204, 417, 500, 744, 842, 1056, 1089, 1232, 1300, 1540. Bei den Chorliedern wurde vor 154 *Stroph.* ergänzt, vor 165 *Antistroph.* statt *Antistrophe I* gedruckt, vor 176 *Epod.* statt *Epod. I*, vor 426 *Antistroph.* statt *Antist.*, vor 1540 *Stroph.* statt *Stroph. I*, vor 1555 *Antistroph.* statt *Antist. I*, vor 1570 *Epod.* statt *Epod. I* und vor 445 *Anapoesti* gestrichen.

Während sich sonst in den Chorliedern Strophe und Antistrophe zahlenmäßig entsprechen, und sei es durch Teilung von Versen (hier ergänzt für 427), ist dies 1254ff. bei *Stroph. II* (15 Verse) und *Antistroph. II* (14 Verse) nicht der Fall. Nach 1275 fehlt eine metrische Entsprechung zu 1261, die jedoch wegen der Worttrennung über die Versgrenze hinweg nicht einfach ausgefallen sein kann.

21	<i>volvit</i> statt <i>voluit</i>
66	<i>se ipsam</i> statt <i>seipsam</i>
68	<i>convertant</i> statt <i>convertunt</i>
137	<i>aleae</i> statt <i>alleae</i>
140	<i>servanda</i> statt <i>sevanda</i>
211	<i>ellam</i> statt <i>ellum</i>
251	<i>adorea</i> statt <i>adorrea</i>
263	<i>quemlibet</i> statt <i>quemlibem</i>
272	<i>appellem</i> statt <i>apellem</i>
296	<i>licet</i> statt <i>liquet</i> , vgl. 292
387	zu erwarten <i>potes</i> statt <i>potest</i> oder <i>vetari</i> statt <i>vetare</i>
427	geteilt als 427 a und b, vgl. 1248f., 1249f., 1275f., 1550
442	<i>credere</i> statt <i>ctedere</i>
516	<Nut.> Jamróz
550	<i>incerta</i> statt <i>ince ta</i>
557	<i>volvit</i> statt <i>voluit</i>
702	<i>eiusmodi</i> statt <i>eimodi</i>
726	<i>quondam</i> statt <i>quonquam</i>
814	<i>diffluunt</i> statt <i>disfluunt</i>
909	<i>fortean</i> statt <i>forte an</i>
980	<i>possidet</i> statt <i>podessit</i>
1049	<i>pessumdatae</i> statt <i>pessumdate</i>
1239	<i>obnoxii</i> statt <i>obnoxiiis</i>

- 1259 *supremus* statt *snpremus*
 1345 *Scythica* statt *Scytica*
 1362 *in promiscuam* statt *inpromiscuam*

'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: 2, 5, 15, 28, 36, 40, 43, 57, 59, 61, 67, 70, 71, 73, 78, 83, 86, 91, 93, 97, 105, 105, 106, 109, 113, 114, 116, 119, 120, 122, 125, 127, 130, 137, 147, 155, 159, 166, 167, 182, 190, 195, 200, 201, 202, 203, 205, 212, 213, 216, 219, 225, 227, 231, 234, 243, 250, 254, 260, 264, 267, 270, 274, 280, 290, 291, 294, 295, 298, 298, 301, 304, 305, 307, 308, 315, 316, 322, 327, 330, 332, 333, 334, 336, 340, 344, 347, 348, 353, 355, 356, 371, 379, 380, 381, 381, 391, 409, 412, 417, 418, 424, 426, 427, 432, 436, 438, 454, 457, 458, 461, 463, 466, 468, 478, 481, 484, 486, 496, 499, 533, 540, 546, 556, 567, 572, 576, 578, 580, 595, 596, 602, 605, 609, 617, 623, 628, 629, 630, 632, 632, 637, 638, 641, 644, 654, 656, 661, 662, 676, 679, 685, 700, 711, 713, 716, 723, 724, 728, 732, 732, 734, 739, 740, 741, 744, 744, 757, 763, 788, 802, 807, 809, 814, 825, 827, 827, 828, 838, 840, 863, 865, 877, 879, 881, 883, 885, 885, 887, 889, 890, 898, 899, 901, 901, 902, 903, 904, 904, 905, 910, 917, 924, 925, 927, 934, 943, 973, 976, 979, 982, 984, 991, 993, 998, 1000, 1000, 1003, 1009, 1019, 1034, 1035, 1038, 1046, 1052, 1054, 1066, 1069, 1074, 1075, 1078, 1081, 1082, 1082, 1090, 1097, 1108, 1118, 1133, 1136, 1138, 1142, 1165, 1168, 1172, 1174, 1180, 1182, 1212, 1213, 1223, 1224, 1226, 1229, 1237, 1261, 1273, 1286, 1295, 1299, 1318, 1335, 1341, 1342, 1343, 1350, 1352, 1355, 1356, 1357, 1358, 1359, 1361, 1366, 1367, 1376, 1381, 1382, 1386, 1392, 1392, 1394, 1394, 1395, 1401, 1418, 1418, 1420, 1421, 1425, 1428, 1429, 1433, 1435, 1441, 1443, 1454, 1459, 1460, 1461, 1465, 1469, 1470, 1473, 1477, 1489, 1493, 1499, 1511, 1512, 1515, 1527, 1532, 1533, 1535, 1538, 1540, 1543, 1560, 1565

'Komma' gestrichen nach: 14 *aleam*, 15 *perdi*, 18 *periclo*, 21 *lingua*, 22 *facere*, 24 *alea*, 25 *munus*, 76 *filiam*, 97 *privum*, 110 *fidencior*, 116 *habet*, 122 *sopor*, 132 *dissentiantne*, 134 *fide*, 145 *malum*, 175 *pauperies*, 180 *supremo*, 184 *haec*, 184 *Dea*, 185 *Termoonto*, 187 *honorans*, 204 *dona*, 206 *praebere*, 207 *facem*, 238 *pignora*, 242 *moenibus*, 247 *balteus*, 271 *aetas*, 279 *expedita*, 285 *fuert*, 308 *lassas*, 317 *lapsi*, 321 *secundior*, 323 *securos*, 328 *bellorum*, 329 *audacia*, 366 *longissimis*, 383 *proinde*, 384 *exercitii*, 393 *sentiati*, 396 *toleranda*, 402 *functas*, 413 *collocet*, 423 *radat*, 439 *adamante*, 464 *quaerimus*, 477 *supplices*, 490 *parentum*, 516 *laevo*, 517 *multa*, 537 *miser*, 553 *incipite*, 555 *illis*, 569 *Divum*, 577 *obnoxiam*, 612 *servilis*, 630 *his*, 660 *aethere*, 661 *acer*, 675 *cordi*, 679 *nurus*, 680 *Priamo*, 686 *simul*, 692 *protinus*, 704 *meus*, 736 *reportet*, 774 *metuentes*, 788 *vultus*, 813 *vado*, 848 *fugatas*, 849 *strage*, 856 *laesus*, 858 *carente*, 859 *horridis*, 864 *medentis*, 868 *huius*, 869 *aliquas*, 891 *solertias*, 912 *contumelia*, 916 *aevo*, 932 *eum*, 935 *sequamur*, 975 *idcirco*, 980 *imitamen*, 980 *podessit*, 981 *paginam*, 983 *malam*, 985 *improbis*, 990 *aggregarier*, 999 *scitu*, 1007 *genere*, 1010 *viventibus*, 1012 *proditus*, 1032 *ultima*, 1051 *pondus*, 1065 *fruuntur*, 1076 *fuertibus*, 1079 *facta*, 1091 *potius*, 1126 *aciem*, 1138 *auspicis*, 1141 *communi*, 1145 *stultitia*, 1146 *suprema*, 1173 *tetro*, 1181 *sumere*, 1184 *mihi*, 1188 *spirantem*, 1196 *dextra*, 1201 *solatur*, 1202 *ipsa*, 1206 *involvi*, 1207 *malum*, 1208 *impingi*, 1209 *quondam*, 1256 *aevo*, 1263 *sui*, 1288 *rerum*, 1293 *amicos*, 1312 *tristes*, 1359 *horrida*, 1369 *acuto*, 1375 *campus*, 1380 *ripam*, 1411 *urbem*, 1434 *orbis*, 1461 *Achilles*, 1467 *mens*, 1471 *custodibus*, 1502 *iusso*, 1503 *alia*, 1533 *ora*, 1541 *modos*, 1558 *opem*, 1570 *supplices*, 1579 *tuo*

'Komma' ergänzt: 1 *te*, 8 *defetisce*, 17 *adeste*, 29, 44, 45, 65, 68, 70, 119, 119, 132 *haec*, 135 *ne*, 141 *spectandum*, 149, 161, 172, 216, 252 *est*, 270, 289, 310 *Rex*, 311 *nesciat*, 317, 327, 329, 397, 411 *manda*, 447 *vi*, 452, 455, 458, 471, 502, 513, 519, 526, 526, 529, 537 *tu*, 537 *heu*, 545 *hostium*, 552, 553, 566 *inscium*, 568, 588, 612 *ista*, 621, 649 *columenque*, 652, 652, 663 *tantum*, 663 *misella*, 674, 687, 690, 704, 704, 711, 736, 738, 745, 749 *res*, 752, 752, 752, 757, 765 *venires*, 785, 810, 831, 836 *est*, 844, 878 *est*, 887, 891 *et*, 897 *quae*, 906 *vel*, 913 *includimur*, 916, 932, 933, 935 *et*, 937 *reor*, 977 *imprimis*, 996, 1007 *discretio*, 1028, 1028, 1048, 1107 *nae*, 1114, 1118, 1119, 1131, 1147, 1151, 1167 *vos*, 1174 *et*, 1178 *duc*, 1180, 1180, 1210, 1231, 1243, 1296, 1300, 1301, 1304 *ite*, 1310, 1325, 1325, 1396 *dissipatos*, 1438 *heus*, 1438 *huc*, 1439 *heus*, 1466 *misera*, 1480 *cave*, 1481, 1489, 1490, 1523 *feroci*, 1547, 1565

'Komma' statt 'Punkt': 20, 26, 35, 55 *appendices*, 63, 64, 174, 183, 243, 276, 281, 294, 304, 342, 354, 360, 376, 380, 411 *alterum*, 420, 427, 485, 489 *tuo*, 495, 554 *Deus*, 563, 565 *nimis*, 570 *accidit*, 590, 591, 598 *nimis*, 600, 601, 610, 641, 659, 675, 701, 708, 716, 718, 742, 804 *loquar*, 822, 823, 833 *forent*, 850, 861, 864, 900, 923 *producere*, 929, 930, 935 *foeminam*, 938, 943, 973, 977 *Antimachia*, 980 *maximam*, 990, 991, 1014, 1020, 1035, 1042, 1049 *pongono*, 1050, 1064, 1066, 1170, 1186, 1213, 1253, 1312, 1323, 1358, 1362, 1380, 1390 *viam*, 1398 *proruunt*, 1410 *fides*, 1419, 1425, 1426, 1432, 1439 *ades*, 1447, 1454, 1458, 1492, 1508 *piscibus*, 1522, 1523 *obutibus*, 1527, 1553, 1554, 1567

'Komma' statt 'Doppelpunkt': 726, 1283, 1487

'Komma' statt 'Strichpunkt': 673, 923 *instituta*, 1000, 1012, 1013, 1029, 1034, 1037, 1059, 1080, 1185, 1189, 1195, 1262, 1276, 1281, 1291, 1319, 1354, 1367, 1389, 1410 *unum*, 1421 *incerta*, 1466 *contemplatus*, 1494, 1495

'Komma' statt 'Fragezeichen': 6, 205, 534, 759, 1205

- 'Punkt' gestrichen: 52 *hospitas*, 77 *virum*, 322 *invehit*, 428 *ausu*, 442 *quaerit*, 456 *amica*, 494 *cluit*, 562 *munera*, 655 *igneos*, 667 *virum*, 720 *insertantem*, 853 *optat*, 892 *laboribus*, 954 *ducem*, 1060 *perturbetur*, 1109 *te*, 1157 *ingessit*, 1190 *obsonium*, 1252 *vocavit*, 1264 *concebraret*, 1343 *praelium*, 1364 *omnia*, 1382 *caedibus*, 1386 *omnibus*, 1422 *ferox*, 1449 *admo-*
vet, 1450 *infestissimo*, 1518 *tamen*, 1536 *gradu*
- 'Punkt' ergänzt: 3, 203, 247, 790, 824, 965, 1024, 1084, 1113, 1278, 1563
- 'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 693, 1492, 1505
- 'Punkt' statt 'Strichpunkt': 954, 1197
- 'Punkt' statt 'Komma': 173, 233, 282, 306, 398, 403, 509, 514, 515, 527, 528, 772, 1036, 1121, 1178 *aufedor*, 1284, 1370
- 'Strichpunkt' gestrichen: 1170 *solum*, 1234 *deduxit*, 1255 *tantum*
- 'Strichpunkt' ergänzt: 211, 275, 709, 944, 1330, 1427, 1501
- 'Strichpunkt' statt 'Punkt': 25, 33, 50, 54, 82, 100, 106, 164, 235, 307, 392, 397, 429, 451, 486, 549, 586, 595, 615, 623, 638, 725, 732, 942, 1041, 1097, 1125, 1242, 1277, 1355, 1366, 1435, 1484, 1503, 1528, 1561
- 'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 928, 1011
- 'Strichpunkt' statt 'Komma': 78, 140, 224, 368, 385, 406, 474, 512, 529, 530, 620, 703, 748, 752, 840, 869, 966, 1018, 1110, 1114, 1130, 1306, 1309, 1315, 1383, 1439, 1444, 1480, 1491, 1521
- 'Doppelpunkt' gestrichen: 733 *virgo*
- 'Doppelpunkt' ergänzt: 32, 1109, 1122, 1479
- 'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 239, 257, 351, 652, 674, 933, 1096, 1183, 1404, 1437
- 'Doppelpunkt' statt 'Strichpunkt': 1030, 1488
- 'Doppelpunkt' statt 'Komma': 430, 603, 672, 1438
- 'Fragezeichen' ergänzt: 206
- 'Fragezeichen' statt 'Punkt': 7, 71, 330, 851, 854, 911, 1208
- 'Fragezeichen' statt 'Komma': 189, 747
- 'Fragezeichen' statt 'Ausrufezeichen': 1229
- 'Ausrufezeichen' ergänzt: 1329
- 'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 79, 538, 801, 1047, 1144, 1154, 1227, 1438, 1480
- 'Klammer' ergänzt: 414f.
- 'Anführungszeichen' ergänzt: 1438ff., 1466ff., 1480